



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

§. I. Argumenta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

magis duplex æqualis probabilitas sunt simul in mente opinantis; ergo non se destruant, si enim maius destrueret minus, non coexistere minus, quando existit maius, adeoque relativa non essent simul cognitione.

N. Alias rationes pro simultanea probabilitate trahit P. Moya tom. 2. qu. 2. §. 1. & 2. 64.
P. Moy. quoniam quam adducit ex Immac. Deiparæ Cōceptione, acriter, & quidem ad hominem urget, contra M. Baronium, & M. Mercor.
Baron. porro non utitur dicta ratione, quatenus supponat minus piam esse sibi probabilem, iudicat enim sibi certò improbabilem, ut ego quoque docui d. 1. n. 62. sed ad hominem utitur contra citatos Autores, opinantes minus piam esse probabilem, & ex hac eorum suppositione contra eos arguit, quod nos quoque prætabimus urgendo idem argumentum, in eos, qui minus piam tuentur probabilem, & refutando eorum responsa.

SECTIO II.

Argumenta P. Elizalde trahuntur, & solvuntur.

§. I.

Argumenta.

SUMMARIUM.

Quia alterutrum fundamentum non est grave, nec quoad se, nec quoad nos, n. 66.

Quia alterutrum est falsum, n. 67.

Paritas testium contradicentium, n. 68.

Quia fundamentum in se falsum, etsi quoad nos grave, caret probabilitate conscientie, n. 69.

Quia alterutrum fundamentum, cum sit in se falsum, est tantum grave ex ignorantia, n. 70.

Quia quò maior est apparentia fundamenti in se falsi, eò maior ignorantia, n. 71.

Quia non potest fundamentum esse grave, si caret respectu ad veritatem, n. 72.

Quia contradictoria possunt quidem esse simul probabilia diverso genere probabilitatis, non tamen probabilitate reali, & conscientie, n. 73. 74.

Triplex ejus contradictio, n. 75. 76.

Ait, nos posse sequi diversæ doctrinæ contradictorias, n. 77.

Ait, plus requiri ad probabilitatem conscientie, quàm excusare a peccato, n. 78.

Ait, duas contradictorias non posse simul esse extrinsecè probabiles, quia alterutri Doctores sunt ignorantes, & in contradicentibus Doctoribus nulla est præsumptio doctrinæ, adeoque

que nulla autoritas, à n. 79. ad 82.

Quia forma impossibilis cum aliâ est impossibilis cum similitudine ejusdem forme in utroque extremo; ex. gr. si sapientia convenit uni ex contradicentibus, non potest ignorantia esse simul in utroque, n. 83.

Quia evidentiâ falsitatis convenit alterutri, adeoque probabilitas veritatis non est simul in utroque, n. 84.

Quia possibilis etiam erit probabilitas simultatis, n. 85. 86.

Quia doctrinæ sanitas est veritas, & nulla falsa est a Deo Authore, n. 87.

Hac omnia ad hoc reducuntur, quod probabilitas est veritas, & sicut implicat simultanea veritas, ita simultanea probabilitas, n. 88.

Postquam P. Eliz. lib. 2. qu. 8. §. 2. pag. N. mihi 88. supponit tamquam communem 65. simam (immerito tamen, ut dixi, cum nostra ferè omnibus indubitata sit, & à me certò probata) suam doctrinam, quod duo contradictoria numquam proponi possint, ut proxime opinabilia, & assensu digna, quia vel fundamenta utriusque partis sunt æqualia, & sic nulli assensum possum, vel inæqualia, & sic teneor assensum probabiliori; tandem §. 3. ita

Arguit 1. Ex vero non nisi verum, & ex N. contradictorijs alterutrum est falsum: ergo 66. fundamentum alterutrius contradictorij non est grave, nec quoad se, nec quoad nos. Consequentia probatur: Illud fundamentum non est grave, nec quoad se, nec quoad nos, quod evidenter scio esse falsum: sed scio alterutrum pro utraque contradictoria fundamentum esse falsum: ergo alterutrum fundamentum nec quoad se, nec quoad nos est grave. Confirmat 1. quia sicut evidens est alterutram contradictoriam esse falsam, ita 67. etiam evidens est alterutrum fundamentum esse falsum, si enim utrumque esset verum, cum ex vero non sequatur nisi verum, sequeretur, quod utraque contradictoria esset vera: ergo sicut implicat, ut iudicem veram utramque contradictoriam, quia alterutrius falsitas est evidens, ita etiam implicat me iudicare grave utrumque fundamentum, quia alterutrius falsitas est mihi indeterminate evidens.

Confirmat 2. Implicat ut uterque ex duobus 68. testibus sibi contradicentibus sit fide dignus, tum quoad se, tum quoad nos; esse non implicet, ut quilibet seorsim ab alio sit fide dignus quoad nos; nam esse fide dignum, est non fallere, & non falli: sed implicat, ut uterque neque fallat, neque fallatur: ergo implicat, ut uterque sit fide dignus, adeoque

N. 69. que in eo casu neutri credendum est. Addit §. 5. posse quidem fundamentum in se non grave apparere grave quoad nos, nempe si fundamentum oppositum non occurrat; numquam tamen neque seorsim à fundamento opposito sumptum erit grave quoad se, si falsum sit; immò *qu. 9. initio pag. 91.* ait, in tali casu nos non posse ex eo fundamento quoad nos gravi sine peccato operari, quia vult, quod tale fundamentum in se falsum, & quoad nos grave, nullam habeat probabilitatem conscientiae, quia supponit, ad probabile conscientiae requiri, ut sit verum.

N. 70. *Phil.* Arguit 2. *lib. 2. qu. 9. §. 1. pag. 91.* Omne ex ignorantia, aut errore tale non est simpliciter tale: sed in omni contradictione fundamentum unius partis est tantum grave ex ignorantia, aut errore; alterutrum enim est necessitatio in re falsum: ergo in omni contradictione alterutrum ex fundamentis non est simpliciter grave, sed tantum secundum quid; id est, ambo fundamenta videri possunt gravia, non autem esse; quod autem videtur tale, & non est tale, non est simpliciter tale: ergo alterutrum fundamentum non est simpliciter, & revera grave.

N. 71. Confirmat 1. quia magna veritatis apparentia, quam tale fundamentum habet, quo maior est, eo maiorem supponit ignorantiam: (lepidum sane argumentum!) ergo non potest constituere gravitatem, nisi ex errore: sed gravitas ex errore non est gravitas simpliciter, sed secundum quid: ergo &c. Confirmat 2. §. 2. ubi relatâ explicatione communi, quod ea fundamenta dicantur absolute gravia, quae licet in se falsa sint, vel si vera sunt, habent tamen magnam veritatis apparentiam, & vim movendi Doctores in tali re apprimè versatos, tandem §. 3. *ad finem* ait, quod ut fundamentum sit grave, habere debeat respectum ad veritatem, quo si careat, non erit grave: ergo cum in alterutro ex fundamentis desit respectus ad verum, evidens enim est unum esse falsum, aut non sequi ex eo conclusionem; sequitur, quod qui eo fundamento movetur, agetur, & male se habeat ea in re, nam eam ignorat, vel in ea errat.

N. 72. Arguit 3. *lib. 2. qu. 10. §. 1. pag. 94.* (non autem 92. est enim error Typographi) quia licet conclusiones contradictoriae possint simul esse probabiles diverso probabilitatis genere, numquam tamen probabilitate reali, & conscientiae. Primum patet; quia una potest esse magis probabilis ob maiorem Doctorem numerum; altera esse magis probabilis ob rationem; una esse probabilis speculativè, alia practice: ergo contradictoria pos-

sunt diverso probabilitatis genere esse simul probabilia. Secundum probat §. 2. quia quaelibet sunt alicujus doctrinae fundamenta, talis est ejusdem doctrinae probabilitas, aut certitudo: sed fundamenta doctrinae contradictoriae numquam possunt esse ex utraque parte simpliciter gravia: ergo nec probabilitas utriusque contradictoriae potest esse simpliciter gravis, adeoque unum tantum erit probabile; alterum autem videbitur esse, sed non erit probabile.

Addit §. 3. quod nihilominus poterimus N. 75. sequi sine peccato doctrinas contradictorias. Ecce triplex contradictio. Prima est, quod possimus utramque sequi sine peccato, & tamen *qu. 9. initio pag. 91.* dixerat, nos non posse ex fundamento tantum gravi quoad nos sine peccato operari; alterutrum autem fundamentum est ex eodem Eliz. grave tantum quoad nos. Secunda est, quod si utramque contradictoriam doctrinam possumus sine peccato sequi, eo ipso inferitur evidenter, vel quod utraque erit probabilis probabilitate conscientiae, & utriusque fundamentum erit simpliciter grave; vel quod potero sine peccato sequi doctrinam non probabilem probabilitate conscientiae, & non habentem fundamentum simpliciter grave. Terna est, quod dum concedit posse sine peccato ad praxim reduci utramque contradictoriam doctrinam, eo ipso utraque dicenda erit probabilis probabilitate conscientiae, (quod tamen negat) si enim doctrina excusans à peccato non est probabilis probabilitate conscientiae, ignoro quanam dicenda erit probabilis probabilitate conscientiae.

N. 77. Hæc sunt contradictoria obiter notata. Sed redeo ad ejus argumentum; addit itaque nos sequi posse sine peccato doctrinas contradictorias, quia licet in concursu fundamenta utriusque contradictoriae nunquam videri possint gravia, possunt tamè seorsim, & divisivè; tunc autem si quis debita usus fuerit diligentia, illud sequendo non peccabit. Cur autem, quod excusat à peccato non vocet probabile conscientiae, est, inquit, quia invincibilis ignorantia excusat, nec tamen facit probabilitatem conscientiae: ergo plus (inquit) requiritur ad probabile conscientiae, quam esse aliquid excusans à peccato. Rursus, cur non peccet sequens fundamentum, quod etiam seorsim est tantum secundum quid, seu ex ignorantia grave, est, (ait) quia ignorantia excusat. Porro hanc doctrinam, quod fundamentum in se falsum, & quoad nos grave, etsi à peccato excuset, non dicendum sit fundare probabilitatem conscientiae, dederat *lib. 2. qu. 9. §. 5.*

Arguit

N. Arguit 4. lib. 2. qu. 11. §. 1. ait non tantum esse verum, sed esse demonstrabile, nullas contradictorias esse simul probabiles probabilitate conscientiae, quam saepe vocat *realem*, ut patet ex qu. 10. §. 2. esto possint simul esse probabiles alio genere probabilitatis, puta sophistica, quatenus facit videri utramque contradictoriam probabilem, non tamen facit in se probabilem. Ita ergo de extrinseca probabilitate arguit. Probabile ab extrinseco conscientiae consistit in doctrina Authoris, vel Authorum: sed nulla conclusiones contradictoriae simul habent doctrinam Authorum; ergo non sunt simul probabiles extrinsece. Minor probatur; quia una conclusio contradictoria supponit in suo Authore ignorantiam: sed ignorantia non est doctrina; ergo ea non supponit in suo Authore doctrinam, immo non doctrinam: ergo talis conclusio non est extrinsece probabilis; quis enim dixerit, tam doctrinam, quam ignorantiam satis esse pro conscientia; & tam fundamenta probabilia, quam sophistica?

N. Confirmat 1. quia evidenter scimus alterutros Doctores errare; ergo cum desit in utrisque simul doctrina, deest probabile conscientiae in alterutris. Confirmat 2. quia non potest utraque contradictoria esse simul extrinsece probabilis, nisi ex similitudine doctrinae Doctorum; sed haec non datur, nam evidens est alterutrum errare; ergo &c. Confirmat 3. §. 4. quia ubi nulla praesumptio scientiae, & veritatis, ibi nulla auctoritas: sed in DD. sibi contradicentibus nulla est praesumptio doctrinae, & veritatis in utrisque simul; ergo nulla auctoritas in utrisque simul; at ubi nulla auctoritas, nulla est probabilitas conscientiae ab extrinseco: ergo in DD. sibi contradicentibus nulla est in utrisque simul probabilitas conscientiae ab extrinseco. Maior est lumine naturae nota, nempe ignorantium nullam esse auctoritatem. Minor etiam est nota, quia in DD. contradicentibus est repugnantia ad veritatem.

N. Arguit 5. lib. 2. qu. 11. §. 4. postquam enim dixit esse indubitatam propositionem, P. Eliz. quod adversus certam, & firmam veritatem nullum superfit probabile conscientiae: similiter quod certo, & indubitanter falsa non sint probabilia probabilitate conscientiae, (quod utrumque recte intellectum est verum) producit obscurissimum hoc argumentum. Forma impossibilis cum alia determinate in uno extremo, vagè, & indeterminate conveniens alterutri duorum extremorum, est impossibilis cum similitudine ejusdem illius formae in utroque extremo; ex. gr.

sapientia est forma impossibilis cum ignorantia, vel cum errore in uno determinate subiecto, & extremo; hoc ipso si sapientia convenit uni duorum, ignorantia, vel error nequit inesse utrique simul: sed certitudo falsitatis est impossibilis cum probabili conscientiae comparative ad unam determinate conclusionem, ut omnium confessione supposuimus: ergo certitudo falsitatis est impossibilis comparative ad duas indeterminate conclusiones cum probabili conscientiae in utraque simul, seu cum similitudine probabilitatis conscientiae in utraque conclusione: sed in omni contradictione conclusionum adest totalis certitudo, & evidentia falsitatis comparative ad unam earum duarum indeterminate conclusionum; ergo est impossibilis cum probabili conscientiae in utraque simul, seu cum similitudine probabilitatis in utraque: nulla ergo conclusiones contradictoriae sunt simul probabiles probabilitate conscientiae. Haec ad verbum P. Eliz.

Confirmat 1. Necessitas sapientiae indeterminate conveniens alterutri ex DD. sibi contradicentibus pugnat cum similitudine ignorantiae utriusque Doctoris; id est, dato quod unus ex illis indeterminate sumptus debeat esse sapiens, implicat, quod uterque sit ignorans: ergo etiam evidentia falsitatis indeterminate conveniens uni ex conclusionibus contradictorijs repugnat cum similitudine probabilitatis: ut enim sapientia ignorantiam, ita evidentia falsitatis probabilitatem veritatis excludit. Confirmat 2. qui scit evidenter hanc conclusionem esse falsam, non habet in ea probabile conscientiae: ergo qui scit evidenter hanc, vel illam esse falsam, non habet in hac simul, & in hac probabile conscientiae.

Arguit 6. lib. 2. qu. 11. §. 6. contendens ex N. similitudine probabilitatis deducere probabilitatem similitudinis hoc modo: Actus nostri ita sunt probabiles, certi, aut evidentes, sicut sunt objecta: sed per nos objecta contradictoria habent similitudinem probabilitatis: ergo actus nostri habent probabilitatem similitudinis: ergo assensus, & dissensus simul erunt. Confirmat 1. quia in causis necessarijs valet a similitudine potentiae ad potentiam similitudinis; ergo etiam in probabili, in credibili, in scibili. Confirmat 2. Si utraque contradictoria esset vera, non repugnaret assensus, & N. dissensus utriusque simul: ergo etiam si utraque sit probabilis, non repugnabit assensus, & dissensus probabilis, quia repugnantia actuum intellectus provenit ex repugnantia objectorum: ergo hi actus poterunt simul esse.

esse, Probabiliter verum est contractum esse injustum: probabiliter verum est non esse injustum. Confirmat 3. Probabilitas per nos non est nisi meritum prudentis assensus: ergo cum utrique contradictorio inest simul probabilitas, inest meritum ad simultaneum utriusque assensum.

N. 87. P. Eliz. Arguit 7. lib. 2. qu. 13. §. 1. pag. 103. Nulla falsa doctrina est sana doctrina: sed in doctrinis contradictorijs alterutra est falsa; ergo alterutra non est sana. Maior probatur 1. quia omnis doctrina sana est à Deo auctore; nulla falsa est à Deo auctore; ergo nulla falsa est sana: 2. quia doctrinae sanitas est veritas, ait §. 2. nulli doctrinae falsæ inest veritas; ergo nulli falsæ inest sanitas.

N. 88. Hec est summa argumentorum P. Eliz. quæ ad hunc syllogismum reducuntur: Probabilitas conclusionis est veritas conclusionis: sed implicat simultanea veritas utriusque contradictorie conclusionis; ergo etiam simultanea probabilitas utriusque contradictorie conclusionis. Vel ad hunc: Est evidens alterutrum ex contradictorijs esse falsum; ergo etiam est evidens alterutrum fundamentum esse falsum; si enim utrumque esset verum, utrumque etiam contradictorium esset verum, nam ex vero non nisi verum: ergo est evidens alterutrum fundamentum non esse grave, nec quoad se, sive divisim, sive simul cum fundamento opposito sumatur, quia tam seorsim, quam conjunctim aliquod est in se falsum: nec quoad nos; quia licet fundamentum A divisim ab opposito fundamento B possit nobis videri grave, non tamen conjunctum, quia tunc evidenter constat alterutrum esse falsum; aut si utrumque fundamentum est verum, alterutrum non inferre conclusionem: ergo cum sciam alterutrum esse falsum, vel non inferre conclusionem, scio non esse grave, quia fundamentum non inferens conclusionem, non est grave.

§. II.

Solvitur primum, secundum, tertium, & quartum.

S U M M A R I U M.

Confundit probabilitatem cum veritate, n. 89. Nulla est consequentia ab impossibilitate simultanee veritatis ad impossibilitatem simultanee probabilitatis: nulla, quod quia veritas excludit falsitatem, excludat etiam probabilitatem; nulla ex eo quod alterutrum indeterminate sit falsum, alterutrum indeterminate non sit probabile, n. 90. 91.

Tom. I.

Certitudo de non simultanea veritate non excludit simultaneam probabilitatem de veritate utriusque, n. 92.

Si tamen simul cadat supra veritatem, negandam; si supra probabilitatem, affirmandum, num. 93. 94.

Omnia argumenta à P. Eliz. solvenda, quia teneatur simultaneam probabilitatem speculativam, n. 95.

Omnes qui oppositam propriam putant probabilem, ostendunt nostram doctrinam esse veram, n. 96.

Hoc ipso, quod intellectus teneatur ad probabilis, ut vult P. Eliz. manifestat nostram opinionem esse veram, n. 97.

Fundamentum, quod determinate scio vel esse falsum, vel non inferre conclusionem, nec quoad se, nec quoad nos, est grave; est tamen, quod indeterminate scio esse falsum, n. 98.

Cum scientia de falsitate, aut non illatione alterutrum fundamenti vagè stat magna verosimilitudo, n. 99.

Et si, quia scio alterutrum esse falsum, judicare non possim utrumque esse verum, possum tamen judicare utrumque esse grave, n. 100.

Paritas testium solvitur, & retorquetur, n. 101.

Rejicitur M. Merc. docens, quod Doctor judicans oppositam probabilem, non judicat sibi, sed alteri, esse probabilem, n. 102.

Falsitas, nisi sit certa, non excludit probabilitatem, n. 103.

Contradictio Eliz. quod fundamentum seorsim sumptum ab opposito excuset, & non excuset a peccato, n. 104.

Sequitur, quod error invincibilis non excuset, n. 105.

Ostendo, quod ignorantia veritatis non opponatur probabilitati veritatis, n. 106. 107.

Falsum, quod unum fundamentum sit grave ex ignorantia, n. 108.

Non tantum videtur, sed scio esse grave, num. 109.

Cum apparere verum, non sit esse verum; apparere ex gravi fundamento grave, sit esse grave? Ibid.

Utraque Universitas sibi contradicens dicit probabiliter verum, etsi non absolute verum, n. 110.

Rejicitur sententia hoc negans ex absurdis, n. 111.

Ex hoc, quod unus tantum contradicens dicat absolute verum, sequitur tantum, quod non potero simul utrique assentiri directe; non autem, quod non potero directe assentiri utrique seorsim; immo utrique simul reflexe, n. 112.

Fundamentum qualem respectum ad veritatem habere debeat, n. 114.

Utrumque fundamentum est simul verosimile, Bb eif